



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 30. Charobertus agnoscitur Rex Hungariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV.
A. C. 1308.

§. XXX.

*Charobertus agnoscitur Rex
Hungariæ.*

Rayn.
1308. n. 23.

Interea Cardinalis Gentilis Monfloridus Papæ Legatus in Hungaria conventum generalem omnium regni Præsulum Procerumque ac virorum spectabilem in octavam S. Martini, nempe decimam octavam Novembris indixerat. Habebantur autem hæc comitia in ampla planitie intra coenobium Fratrum Prædicatorum. Aderant cum Legato Rex juvenis Charobertus, duo Archiepiscopi Thomas Strigonienlis, ac Vincentius Colocianus, & Vacciæ, Vesprinii, Nitriæ, Quinque Ecclesiarum, Agriæ, Zagabriæ, ac Javarini Episcopi septem. Henricus Gubernator Sclavoniæ præsidebat Optimatibus multis præsentibus, absentiumque Nunciis: quos stipabat ingens aliorum Nobilium & populi multitudo. Legatus dicere orsus pro argumento sumebat Evangelium de lolis, & bonum semen Regibus catholicis, quos Deus Hungariæ dedisset, applicabat, præsertim S. Stephano, qui a Papa coronam accepisset suam, ut testarentur Hungariæ ipsius historiæ, quas legisset.

Matth. c. 13.
24.

Mur.

Murmurantes sub hæc verba Proce-
 res Nobilesque cæteri negabant se vel-
 le ab Ecclesia Romana vel hujus nomi-
 ne a Legato Regem accipere. Volu-
 mus vero, addebant, ut, quem pro ve-
 teri regni more accitum assumpserimus
 in Regem, illa confirmet; & in posterum
 legitimi Papæ habeant jus confirman-
 di coronandique Reges Hungariæ re-
 gia e stirpe ortos, quos concorditer ele-
 gerimus. Tum Legatus consensu roga-
 tuque cunctorum Præfulum ac Optima-
 tium verum Hungariæ Regem decla-
 ravit Carolum ab ejus Regibus oriun-
 dum per Mariam Siciliae Reginam Regis
 Stephani filiam; confirmavitque illum
 & agnovit Ecclesiæ Romanæ nomine.
 Igitur præsentis omnes, tam qui obsti-
 terant Carolo, quam qui adhæserant, eum
 accipiebant Regem, atque post juratam
 fidem subjectis manibus sustollebant:
 dein cantabant Hymnum Ambrosii.
 Hæc sunt, quæ continent tabulæ au-
 thenticæ confectæ 26 Nov. 1308.

Sæcul. XIV.
 A. C. 1308.

§. XXXI.

*Henricus Luxemburgius Romanorum
 Rex.*

Postero die Mercurii ante festum S. An-
 dreæ Francofordiæ conventum age-
 rant

Baluz. to. 2.
 p. 267.

T t 5 bant